DE MEDICI JUNIORIS QUALITATIBUS UT MEDICINAE LAUREA...

Giovanni Vanzani



DE

MEDICI JUNIORIS

QUALITATIBUS

UT

MEDICINAE LAUREA

HONESTARETUR

IN LYCEO MAGNO PATAVINO

NONNULLA PUBLICE PRAESEBAT

VANZANI JOHANNES

VERONENSIS.



Patavii

TYPIS SEMINARII

1842.



158



JOHANNI BAPTISTAE DUCA

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI
PROVINCIAE PATAVINAE PROTOMEDICO
DOCTISSIMO HUMANISSIMO

Virtutes animi praeclarae cognitionesque de re Medica, quae eximio tuo sunt ingenio, hujusce minimi laboris dicationem rariori tuae benevolentiae mihi suaserunt.

Ipsius et auctoris mentis, quem veniam obtinere tuam mulcet spes, ne levitatem conspicias; sed cordis peculiarem affectum, quo humillime deprecatur, ob venerationem erga te et aestimationem suam summam, ut tenue opus benigne accipere velis.

Devinctissimus Auctor.

Cum diei desideratissimae cogitationem, qua mihi Medico Lauro frons exornaretur, donarem, ideas permultas mea in meute agitabam, cum arduum perspicerem argumenti pro Dissertatione seligendi, parvitatis meae timidusque quid cruciatus semper in animo volvebam. Tandem pervenit, et paginas rapide decurrens, admiratione commotus, artis geniorum tantorum, qui summa cura, diligentia et amore, vigiliisque pluribus transactis, multa fecerunt ut medicam famam haberent, summopere pavens, quid mibi esset agendum nesciebam. Nonnullum mihi eluxit, et cum utilitate quadam praeditum videretur, hac in aera, qua scientiae artesque omnes variis in partibus suis fastigium pro civilisationis pretioso officio contigerunt, de medici junioris peculiaribus qualitatibus disserere cogitavi. Nec admirandum; ipsemet, laboriosa studiorum meta transacta, vastum societatis mare statim conspicit, variatissimos coetus inter, nec non

temperamenta, mores, affectus hominum cogitationesque dissimiles, et sane exterrefactus, multa menti suae, variisque, tanta in confusione donabit.

Dotes inter permultas, quae medico autem necessariae patent, nonnullas pretiosas eligere censui, scientiam nempe, charitatem, prudentiam animique constantiam; hisque praeditus, humili meo consilio fateor, arduum medicinae iter feliciter facillimeque peragrabit.

Utinam laborem minimum venia donatum videam et benevolentis ab hoc munificentissimo Consessu studiosisque nobilibus, qui honore, amore et probitate, hoc in augustissimo Instituto, Medicinae scientiam publice acquirunt, quae pro cognitionum vastitate artisque honore et metae adimplendae arduitate, certe alias antecellit.

Studiis exantlatis a legibus academicis praescriptis, habeo pro certo medicum juniorem, quamquam summo labore et diligentia ingenium suum cognitionum permultarum agmine vastissimo e suis eruditissimis Praeceptoribus paterna cura illi porrecto exornaret, terrore commotum ad aegrotantis lectulum prima vice sane accedere; et quamquam biennio clinico complures ex istis viderit, morbosque memoriae dignos et observationis, ob scientiae amorem et erga

discipulos benevolentiam Institutorum, conspexerit, quid internae agitationis, censeo, semper habere, propter difficultatem summam morbis diagnosim donandi.

Verum est scientiam sociam illi charissimam virtutem quandoque praebere; et cum, debita ratione, attenta id ille perspexerit, quod observationi suae conceditur, verba et facta Magistrorum, et hoc in tempore collecta peculiari sua cura, in veterum moderniorumque paginis tum recordabit. Scientia ipsa quae, sapientis amica, parvum etiam, ingenium sustinet, lectulum prope aegrotantis, qui ab ipso medico juniore consilium curamque postulat, lucem clarissimam effundet, illique rectam viam signabit. Nunquam ipse permultia cognitionibus ingenium suum licet ornatum, quibus, lato tantum sensu, illud esse censeo praeditum, diligentia sua summa et attentione etiam donata, vana gloriae optatione, caeteris commonstret; nec cogitet lectiones habitas aeternae oblivioni donare, quae suo quinquennio juniori ingenio utilia tanta pretiosaque, ut recte excelleret, praebuerunt. Sed potius semetipsum contemplans, parvique sui timens sat cultam societatem observet modeste, quae, consueta curiositate praedita, attente illum ac saepissime conspicit; cogitet imo e primis suis curationibus, primis verbia actionibusque omnibus

de futura sua conditione ab ipsa tantum judicari, et sane illam fateri quid ab eo in postarum obtinendum sit.

Meum juxta parvum ingenium clare sentio, potius quam illum perspicere in dubio saepe vortentem nonnullam fiduciam alii alterive systemati donare, de quo vix substantiam concrete posse, credo, tenere, melius illi esse, ut justus prudensque eclecticus praecipua cum attentione facta a caeteris omnia observet, et, optime rebus perpensis, id agat, quod honestum, securum et honore praeditum dilicatae suae conscientiae videri possit.

Quamobrem indefessa diligentia Medicinae patres perlegat, et quid illis pro scientia nascente ignotum sane evaserat animo probo parcat; summaque veneratione diligentissimas observationas conspiciat, et, debito obsequio ob tantos labores, nulla ab ore suo exeat contumelia in viros tam claros utilesque.

Avidus autem novarum cognitionum modernos etiam consulat; sed semper animo recto promptoque in seligendis veritatibus a falsis, nec facile ab eloquentiae perdulci ac amabili seductione suadeatur, tantumque illa accipiat, quae perfecta et justa relatione fruantur cum cognitionibus exantlatis et persentitis pro veris atque essantialibus, et absoluta sua cura magnaque

diligentia omnia perpendat, circumstantiae expositas observando, cum curatione quacumque peracta.

Diebus, quibus Anatome comparata tantum attigit fastigium, et Physiologiae maximam aperuit viam, ut melius in requirendis diffundatur; diebus, dicam, quibus sectiones Pathologicae invidiabili cum attentione omnia diligenter perscrutant, conspiciunt et dilicate dictitant, junioreaque eruditi, sapientes et summopere optantes scientiam illustrare, ullo absque terrore, indefessim vigiliisque permultis, ut fama honestentur, adaunt, oportet ut Medicus junior, majori justoque scientiae amore, tanto in certamine, viribus suis conspectis, ingenium acuat, et diligenti observatione attentionem praebeat.

Fatendum est vero, pro fortunarum parvitate, occupationibus permultis reliquisque circumstantiis, quae impedimenta nonnulla in porrectis quandoque possunt illi donare, summo dolore cognitionibus novis scientificis ipsum tum et quando carere, quas certe alter divitiarum onustus, illoque beatior inter societatis bonores et sedula quaesita attente colligit. Attamen non timeat, cum classicos praecipuos saltem possideat, qui summo labore et cura, quid illi utiliûs necessariumque evadere poterat collexernat ad ertem suam exornandam; aegrotentis ad lectum inde-

fessus observator resideat, pluries indagines suas repetat, et exacte perlecta comparet, visa et persentita; at si occasio illi donetur Medica Sumpta renovata conspiciat, quae pro mense ab eruditissimis Viris collaborata lumen maximum Scientiae Medicae afferunt, et cognitiones novas medico tenuiori tantum pretio donant, planam ipsimet viam aperiendo, quae summopere alio modo ardua sane esset.

Si aliquid in die juniori medico temporis donetur, potius quam solatis verbaque inutilia ducat, candida conscientia quid observavit semper conscribat, ac maxime de casibus pro raritate et varietate symptomatum claris novisque, et pervariis memoris collectis, quantum viderit utilitatis verae et pretiosae esse ipsimet in posterum, nec non famae aliquid in scientia tam dilicata sibi vindicare diligenter conservet.

Nunquam obliviscatur saepissime individui salutem omnino ex sua diligentia et cognitionibus adhibitis pendere, indeque felicitatem et existentiae soliditatem familiarum; quandoque terrore ac dubio commotus, nunquam per se certus fidensque promptiora incaute agat, sed semper omnia recte perpendat, quae oculo suo pro justis, securis honestisque donentur.

Scientia vero angelica virtus sociaque viam illi sternet, sed de viribus suis melius est ali-

quando timere; potiusque consulat majores suos, qui pro sapientia, rectitudine verborum, cognitionum actionumque apud illum aut non longe lumen diffundunt, et cum ipsis, diligenter expositis anamesticis suis, humiliter et candide opinionem suam prospiciat, caeterorum illam audiat et perpendat, justaque cognita obsequio debito colat.

Sat non est; ingenua virtus altera puraque, affectibus nobilioribus praedita, vel charitas, omnibus ostenditur. Quoties medicus pauperum inter innumerabilem invenietur turbam, quotiesque lacrymas in miseriis conspectis vario modo oculis suis pro commiseratione effundet, tumque dolor intensus erit illi, singulis auxilio opportuno carentibus, quin poenas eheu! visas eorum tollere queat! Hic certe nummorum aviditas divitiarumque, horrendi egoismi horribilis mater, fervide procul a medico est optanda; at nunquam paveat; sed in mente secure volvat gentium Rectorem maximum simili amore omnes benigne conspicere, justumque suorum munera meritaque agnoscere, nec sane fallor, commiserationem illi invidiabilem inspirare, ita ut, toto homine, similes suos recte sublevet. Non ergo admirandum, si medicus summopere pharmacologiam colat, remediorumque varietatem qualitatesque, ut utilitas pauperi plurima redundat,

nec remedii pretium hunc terreat; divitique condigniorem relinquat luxum, quem sane absque damno sufferre potest.

Charitas, quae misero tota sese donat, lacrymas ejus tergit, nova consilia aptaque porrigit, atque suae saluti valdopere opportuna, vitam ragit inclinationesque illius, charitas medici in vultu benigna splendeat, et ille beatum toties sese dictitet, quoties consilium, consolationem curamque debitam misero contulerit.

Saepissime vero tuguria complura miserabilia inveniet, et eo magis ob tristem locum, indigentiam summam, ac consequentem spurcitiem tum personis, tum vestibus donatam, ob diaetae assiduos errores atque, exiguo nummo sumpto, intemperantiam indigniorum, ipsemet tum philosophus observator, cui heec omnia foutem praecipuum tantorum morborum evadere cogoitum est, peculiari cum sapientia curaque eptum consilium offerat, ut possibiliter modo aliquo fugiantur. Nec pudeat, nec timeat pauperum domus conspicere, imoque ad illos animum suum beneficum vertat, eosque sublevando benedictiones sat pretiosas accipiat.

Dulcis, mansuetus officiosusque ignavum audiat vulgum, qui vero quandoque sua in ignorentia sat bene, nostra cum admiratione, rectum scientiae nostrae aptumque exercitium noscit, at-

quae summa claritate tum in verbis, tum in consiliis medicus vernaculo ejus aptetur, candidusque exponat ut sibi aegrotantium charissimam confidentiam vindicet.

Quanta istius revera sit utilitas relate ad exitum curationum fere omnium, optime noscunt illi majores inter nostros, qui, dotibus aliis exceptis, hac ineffabili virtute donati, communem justamque laudem, vero marito, constenter obtinent. Complures post annos officii sui, pro peculiari arduitate valde cogniti, a societate observante sua munera debita veneratione tractari tum vidabit, et omnium in vultu gratitudinis risum conspiciet ingenuum, habeoque pro certo voluptatis lacrymas ob sacrum officium illum flere; nec dubitandum dulci in sua felici senectute grataque emotione confortari.

Sed ubinam rarissimam prudentiam relinquo, quae, meo et, censeo, omnium consilio, incessanter medicum comiteri debet, et sancto suo auxilio illum dirigere, nec non actus, verba, vitam consiliaque sua?

Ipse juvenis, adhuc variatissimam inter cogitationum opinionumque seriem positus et affectuum omnino diversorum, coetus interque pervarios, quoties terrore commotus in mente sua volvet quid illi futurum pro accentu nonnullo, actione consilioque inani, aut damnoso?

Sed ante omnis illi commendare hic censeo moralitatis pretiosam virtutem, quam vera religio solum in cor humanum sculpere noscit; medicus ista praeditus quemcumque pro certo libere perspiciet: nec desit illi unquam attenta observatio, apte verbum perpendendo, priusquam ex ore suo exeat; nobilisque, delicatus et summopere officiosus consilia sua donet. Alia inter, nobis prospicitur revera venustior sexus, qui in societate peculiarem attentionem meret, quique e natura formis ornatus pulcherrimis, qui imaginationis fervidissimae, nec non debilitatis non spernendae erga externos influxus, a medico, communi voto, modum specialem tractandi postulat et argutissimum consilium. Quamvis, his temporibus, universa cultura praejudicis sagaciter plurima abstraherentur, quae eheu ob improbum damnosumque praeconceptum mysterium saepissime feminis lethalia evasarunt, tamen summopere illi commendo, ut nunquam quaestiones inurbano modo ipsis conferat, et medici dignitate nec non prudentia minime oblitis, indagines peculiari argutis mittat, studium donando qualitatibus personarum consanguineorumque, ut apte dulcibusque modis ignota sat bene noscat. Persaepe autem tacitus erit custos specialium confessionum, maximeque ad morbos relate acquisitos inexpertim; nec non aliquando

alia habebit ita silentium imperantia, ut pro illis absolute tractetur de vita et felicitate familiae cujusdam. Summa constantia donatus nunquam verbum det fugatque inurbanas quaestiones, intima securitate animae dignioris perfecte suasus illi silentium valdopere necessarium evadere, quod semper pretiosum visum fuit totó caelo, et sic pro eo improbi loquentia contumeliam fugiat, caussaeque infaustissimae tantorum malorum.

Tranquillus, securus personaeque politus, nunquam superbus, sed dulcia affabiliaque consilia sua donet, et haec verae scientiae et venerabilium majorum suorum experientiae innixa nec non purae conscientiae illa omnino suo aegrotanti utilia evadere. Audiat praeterea Collegas, vel pro aetate vel ob cognitiones permultas sat claros, ingenuitate peculiari, et nunquam horribilis invidia animum suum conturbet, nec laudes gloriamque inanem optet, neque voluptatem facile ceteria suam commonstret ob adulationes argutas; sed prudentissimus viam rectam, justam honestamque animo constante peragret. Pro scientiae autem amore suas ostendet cogitationes cognitionesque absque inanis eloquentiae fastu, solumque veritatis unius amans, quae fons sublimis praesentium utilissimarum cognitionum ab omnibus nuncupatur, hanc indefesse prosequatur.

Ardua in sua meta, aperte noscet, quam utilis semper illi fuerit, pretiosa virtus, dicam prudentiam, atque millies secum confortabitur de gratissima fuga tantorum infortuniorum, quae certe existentiam suam contigissent, pacemque abstulissent

Aliud adjungo, sermonemque compleo meum, optando etiam in medico animi constantiam; et revera frequenter terribilia offerentur illi, in quibus, dubio permulto terroreque, famam suam periclitantem aegrorumque vitam prospiciet. Magistrorum eruditorum pretiosissimis cognitionibus dicatum, illisque praeditum, relate etiam ad diligentissimam suam observationem et ad illam aut visam, aut persentitam eorum, cum animi prudeotis sapientiaque constantia et conscientia, clare patet, timore relicto. tantumque cum rectum prospicientia candore, virtutem obtinere, intrepidumque varias sustinere angustias posse.

Verum est, praesentem ob maximam culturam, assiduamque librorum diffusionem de Medica re tractantium, fere ab omnibus classibus opiniones variae de modo-medendorum morborum aperte nosci. Medicina fit vulgaris, et quisquam de illa loquitur, et pluries lucta peculiaris Medico erit cum varietate opinionum gentiumque cogitationum, quae ipsi debellandae sunt cum rectis sapientibusque discussionibus; nec non

abstrahenda, summa prudentia, falsa illorum principia. Exemplum nobis porrigit clarissimum Hypochondriacus, qui in idea constans morbi sibi praefixi Medicum petit, ipsi loquitur cum medicarum cognitionum admiranda serie, cum illo intrepidus pugnat, et argutissimus minutiora requirit. Quamobrem indefessus varia studet de Medicina loquentia, quae heu pro suo damno nimis diffunduntur, vidensque varios morbos, varietate cum symptomatum vestitos, nonnullum ex istis sibi figit et aptat ac interim Medicus junior, angustia quidem nonnulla commotus, verbis sapientia praeditis, severo cum judicio, animique constantia consilia sua praebere argute debet. Etiam cum aliis illi pugnandum est, qui avide nonnullum systema complexerunt, et peculiaribus eloquentia verbis donatis, argumentis cum novis, medicum improvise tentant, eumque durs sub conditione quandoque ponunt defensiones prompte illis ostendendi opinionum suarum.

Quacumque in adversitate, repetam, studium sit illi perdulce socium, quod sane animo pacato rectoque aperit consolationis viam gratissimam; intrepidusque sit, et in defensionibus suis nunquam contemnens et nunquam ira devictus loquatur; sed placida, tuto animo argutaque, humanas noscens passiones, sua exponat. Ars me-

dica inter alias pro sua incertitudine adhuc perstanta millies offert non parvas quaestiones; sed collaudandum bodie maxime et gratulandum est, summa cum perspicacia idearum et observationum multiplicitate universim donata, velamina mysterii permulta fere omnino abstracta jam esse. Via summopere laeta medico haec evadat, quietusque observator collecta ab aliis et sua prospiciat peculiari cum ingenio et amore. Sicut vero officium praecipuum illi aegrotantes summa cura a morbis defendere, rara cum diligentia, temperamentum illorum, constitutionem, idiosyncrasias variatosque affectus argute studeat. Ac si evidenter noscat methodum aliam ipsis lethalem posse evadere, et ob assiduam attentionem ad morbos speciales tendentiam in illis conspiciat, cognita debite remediorum actione, nunquam consilium suum omittat, toto caelo confidens in officio aegrotantium salutis firmandae.

Hac ratione confidentiae rarissimum munus sibi vindicabit suorum curatorum, nec non perdulcis erit illi memoria de sua virtute in adapto consilio, sanis principiis exactisque observationibus innixo, gratissimaque etiam consolatio salutis suis similibus allatae. Et si aliquando dubium insurgeret de potius obscuro morbo, larvatis symptomatibus donato, statim consulat, nec tempus sui confidens nimis perdat; majoresque sat

experti et eruditi viam rectam illi commonstrabunt; et severa observatione perpensa illorum sagaci opinione, maxima cum tranquillitate animi verba perpendat, et sapienter placideque se se methodo utiliori cuicumque pro aegrotantis sui salute donet. Sed illi valdopere commendo ut in corde suo sculpat semper valetudinem cujuscumque individui gloriae cupiditati aperta sanaque experientia destitutae anteponere; nec obliviscatur, ob ignotam adhuc nonnullorum remediorum absolutam actionem, uoquam illi permitti istorum praescriptione abuti, quamquam alter aliquo modo virtutem eorum commonstrasset; priusquam revera id agat oculo aperto conspiciat quot arunt damna quotque infortunia, et irremediabilis conscientiam exitus lethalis inducti; dum e contra pro sacro suo officio tota cum diligentia et cura possibili salus aegroto. esset praebenda, juxta inconcussa consilia majorum suorum. Pro excusatione inani trepidet semper, et nunquam auctoritas unius abstrahere ab animo suo conscientiam poterit reliquisse ex muneribus suis pretiosius, quod sat clare indicat maxima diligentia quamcumque rem semper perpendendam esse.

Optimus philosophus contumelias spernat aut aperte aut abscondito telo in suam famam latas; gratissima memoria rectarum suarum actionum,

unico scopo valetudinis curabilium suorum parandae, illum semper invicte consolabitur. At si quandoque mala pro sorte, error nonnullus quamcumque suam curationem improbe duceret, sua assiduitas rectaque vita, cognitioque artis tam arduae dubiorum adbuc perstantium aliquid societatia judicium severum demulcebunt. Et notum sit illi, pro sua consolatione, inter infortunia cor humanum efformari; haec eadem cum renovatis ictibus fortiorem in posterum ita illum reddere, ut valeat ea animo intrepido spernere, telisque scutum ostendere solidum.

Ingenii mei parvitas nil potest amplius offerre; fiducia praeditus in benevolentia eruditissimorum Praeceptorum et benignorum sociorum, hanc compleo dissertationem veniam ab illis implorando; dicam sincere, quod exposui, summopere in animo aculptum esse meo, ac me nunquam praecepta praedicta relicturum, mihique fore valdopere gratum, si quid ex verbis meis utilitatis, venia donata, exsurgat.

THESES DEFENDENDAE

I.

Medicus philosophus summopere utilis Scientia sua.

II.

Nunquam est contemnendus sic dictus oculus practicus

III.

Vesaniarum curator difficillime perfectus invenitur.

IV.

Undiqoe comprobatur in morotrophiia vinculorum fortiorum catenarumque iusufficientia, imo damnum.

V.

Aegrotantis in medico confidentia summopere est collaudanda.

VI.

Honos sui, societatisque vicissitudines multiplices saepe vesaniis favent.

VII.

Avaritia uti vesaniarum fons princeps communisque nuncupatur.

VIII.

Venaesectionum abusus semper fatalis censetur.

IX.

Evidenter patet sanguinem vitae pabulum efformare.

X.

In delirio trementi optimum pharmacum tartarus emeticus evadit.

XI.

Infortunia miseriaeque morborum fontem complurium praebent.

XII.

In aetate virili systema abdominis venosum valdopere respiciendum est.